

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

XXIX. Lemmata Hist. Ad Silesiam

urn:nbn:de:bsz:31-102564

XXIIX. LEMMATA HIST. AD
SILESIAM.

Imperiti sunt originum veterum, gentiumque natales ignorant, et nimis
La migrationum ordine recedunt longiusque declinant, aut mea opinione
in re seria interdum ineptiunt ac ludunt, qui Elyfios Taciti Silesios inter-
pretantur, de mor. German. XLIII. 5. Et ibidem Beatus Rhenanus, cuius in-
tempeffiva castigatio historiae vim affert, nec melior est coniectura Iodo-
ci VVillichii, Lygios vocantis, quos Silesios nominamus, in Tac. Germ.

§. II. Verosimiliter ultima nominis initia a *convenis* lingua Sarmatica
dictis repetuntur, quippe quibus antiquae urbium vicorumque appellatio-
nes congruunt, et Sarmatici nominis vestigia referunt, ac temporum gen-
tiumque vices ostendunt. In quam sententiam Vid. *Nicolaus Henclius*, pru-
dens et doctus scriptor, *Silesiogr. p. 5.* Dissentit *Ioachimus Curaeus*, dili-
gens et eruditus annalium Silesiae conditor, et *Lygios Elyfiosque Taciti*
ad hoc argumentum refert, a magno, ut opinor, polyhystore *Caspere Peu-
cero* deceptus, p. 6. et 55. editionis *VVittenbergensis.* Huic assentitur *Christo-
phorus Hartknobius de rep. Polon. lib. 1. cap. 3.*

§. III. Antea has oras incoluerunt *Qvadi*, finitimi Sarmatis, et mo-
rum armorumque apparatu similes, sed natione Germani, ut auctor est *Ta-
citus Germ. XLII. 1. 2. Am. Marcellinus XVII. 12. Dabravius hist. Boiem.
lib. IIX.*

§. IV. Postea Sarmatae *Lechidae* migrarunt in eas terras, sedesque
fixerunt *Matth. Michovius lib. I. cap. 1.* Quo tempore Silesiorum populus
nondum hoc nomine erat cognitus, nec facile ante Karolinum regnum fa-
ma belli et expeditionum celebratur. Id quod comprobant monumenta,
quibus res ipsorum continentur. Nam *Siuli*, sive ut alii legunt, *Stiufi*, de-
notant Silesios, qui cum Slavis et Bohemis regni Franci Germanici limitem
ruperunt, *annal. Francor. DCCCLXIX.*

§. V. Amplius extat huius appellationis vestigium apud *Ditmarum*
Merseburgensem, qui primus omnium, quod sciam, meminit *pagi Silesis*,
quem interpretor tractum regionemque Silesiae gentis, *lib. VII. p. 221. edit.
Mader.*

§. VI. Ritu Christianorum initiati sunt, cum summam rerum Polo-
nicarum teneret *Mieczislaus*, qui ducta *Boleslai Bohemici* filia, barbaro
more se abstipuit, et abrogato idolorum cultu, veram Religionem ample-
xus est, et ad Polonos Silesiosque transmisit. *Ditmarus Chron. lib. IV. p. 89.*

Dubravius hist. Boiem. lib. V. Ioach. Curaeus in annal. Siles. p. 29. Mart. Cromerus rer. Polon. lib. III. Nic. Henelius Silesiograph. cap. VI. Caesar Baronius in annal. Eccles. ad an. 965. Nisi quod ibidem erroneam Cranzii opinionem sequitur, et Vandaliae ambitu Sarmatarum Slavorumque terras perperam complectitur. Adrianus Regenvolscius hist. eccles. Slavon. lib. I.

§. VII. Simulatque hae gentes Christo nomen dederunt, moratiores pariter factae sunt, et prava instituta malique exempli consuetudines omiserunt, et ipsam quoque habendi plures uxores libidinem pie et sapienter improbarunt. *Bobuslaus Balbinus, vir sane diligens, etsi cum duce suo Stranskio nimis saepe, et praeter meritum suggillat Melchiorum Goldastum, in epit. rer. Bohem. lib. II. cap. 7.*

§. VIII. In hanc sententiam commemorat et testatur Procopius non Christianus, sed in hoc genere ingenuus scriptor, Herulos, Slavici nominis gentem, non prius feritatem cum mansuetudine commutasse, quam Christi sacra amplecteretur. *Gorb. II.*

§. IX. Non aliud, nec mitius ingenium reliqui Sarmatae habuerunt, et rerum superstitionumque a maioribus traditarum tenacissimi fuerunt, quod ex Procopio abunde patet, cuius narratio ingenio populi, et rebus factisque congruit, nec Fr. Combesis habuit, cur propter *arudota* fidem Procopii elevarer, *ad Procop. Rhet. locum de S. Sophia p. 293.*

§. X. Tantum refert admoneri, quod universa haec gens non uno et eodem temporis articulo religionem simul et cultum susceperit, quoniam ante Dobravae in Poloniam adventum quaedam religionis Christianae semina ibi sparsa sunt, et Cyrillus atque Methodius Episcopi, velut regionum illarum *Apostoli*, iam ante studia sua eo contulerunt, ut religione Christiana imbueretur. Quorsum spectat Mart. Cromerus, quum initia religionis accepta fert Graecis et Italis, denotatque hos Episcopos, qui annitente Nicolao Pontifice Ro. Christi sacra ibidem promulgarunt, *de reb. Polon. lib. III. Dubravius, Curaeus, Regenvolscius et per plures.* Nec vero, quod de Polonis Silesiisque dictum volo, id ad omnes Slavorum populos pertinet, quorum alii citius, alii serius Christi sacra colere coeperunt. Ex quibus certe Hieronymus Stridonienfis eluxit, et sacras literas magnopere illustravit, quem Flacius Illyricus ferme reddidisset posteris seculis, nisi de optima et emendata Magistri doctrina deflexisset. Interim *epocha conversionis Polonorum Silesiorumque generalis omnino figenda est in A. Ch. DCCCCLXV.* Hinc principium cultus et civilitatis, hinc primordia templorum ibi ducuntur. Quae disciplina et mansuetudo elegantiaque multo post progressa est ad Prussos, ut alibi traditum probatumque fuit.

§. XI. Ac diu quidem Silesia fuit in ditione Poloniae et Lechidarum Principum legibus paruit, ac deinde Piaftidarum Duces Regesque coluit comiterque habuit, et amplius octingentis annis talem modum statumque reipublicae servavit. *Henelius Silesiog. cap. VII.* Seorsim a nobis sentit Hartknochius, et auctore *Vincensio Kadlubio* probare conatur, Silesiam, quam hic Scriptor inepte Sileuciam nominat, Boleslai Chrobri ductu Poloniae fuisse subiectam, *lib. I. cap. 3. §. 2. de Rep. Pol.* Sed ex aliis, nec fabulosis monumentis constat, Silesiam ab initio principatus Lechi non ignobilem fuisse Poloniae portionem.

§. XII. Tabulae Regum Poloniae indicant pariter et confirmant, eos testandi domini causa supremos Silesiae duces se scripsisse in epistolis et codicillis publicis, admonetque id, ut ratio intelligatur, quamobrem ita se scripserint Reges, simulque causa perspiciatur, quamobrem Silesiae Proceres et Principes noluerint in loco numeroque provinciarum haberi, sed salva status dignitate, integrisque privilegiis cum regno Poloniae antiquitus, et deinde cum regno Bohemiae coaluerint. Cuius exemplum tituli extat apud *Iacobum Schickfusium in Chron. Siles. lib. 3. cap. 28. De quo vid. infra §. XV.*

§. XIII. Tradit autem Melchior Goldastus, Poloniae Reges dominium Silesiae sub auspiciis Germanorum habuisse, et salvis Imperii rationibus tenuisse, atque adeo propter Silesiam Caesaribus sane obnoxios fuisse, *de Regno Bohemiae lib. I. c. 14.*

§. XIV. Quod eo magis certum exploratumque est, postquam Silesia ad Bohemos transiit, quorum ut regnum, ita omnes regno innexae regiones ad supremum Germaniae ius spectant. Docent hoc diplomata, quae regnum Bohemiae feudale evincunt, et sanctiones publicae, quae multis in locis Silesiam Imperio devinctam testantur. In quo argumento caute legendus est P. Piafcius, qui non raro externarum rerum imperitum se prodit, et regnum Bohemiae vere dici posse *feudum Imperiale* negat, contra veterum recentiumque diplomatum fidem, *Chron. an. 1619.* Nam privilegia et immunitates, quas habet Bohemia, non efficiunt, ut desinat esse Imperii beneficium, quoniam propter eam omnia iura, muniaque et dignitates Imperiales, cum primis *Electoatus et Archiepiscopatus*, et regiones principatusque coniuncti ab Imperio accipiuntur, atque hoc titulo agnoscuntur et possidentur. *Extat R. I. 1530. §. 127.* ubi Silesia iungitur iis sane regionibus, quae suprema Imperii iurisdictione continentur.

§. XV. Inter Silesiae ducatus, qui sub tempora Boleslai Crispi figillatim constituti divisique sunt, Glogoviensis et Troppaviensis Vladislai regis

donatione attributi sunt Iohanni Alberto, quamvis Silesia iam diu ante Polonorum esse desiisset. Vnde interpretationem recipit Iohannis Alberti titulus, qui non ad universam Silesiam, sed duntaxat ad ducatum Glogoviensem et Troppaviensem pertinebat. *Io. Curaeus in annal. Siles. p. 359. Mart. Cromerus, et huius Epitomastes hist. Polon. lib. VI.*

§. XVI. Ducatus Oppaviensis, vera quoque Silesiae portio est, et inter huius regni clientelas numeratur, et gaudet privilegiis, quae Silesiae principatus, ut Iohannis Bohemiae regis diplomata satis declarant. Quamquam nuper Thomas Iohannes Pessina ostendere conatus est, eum ab antiquo tempore ad Marchionatum Moraviae pertinuisse, in *Marte Morav. lib. IV. cap. 2.* Sed tabulae et bullae Lutzelburgicorum Regum Caesarumque Oppaviae ducem Silesiae adscribunt, atque in hoc statu et dignitate confirmant. Diu vero est, quod iste ducatus ad *Cameram* ut vocant, *Regiam* (Bohemiam) proxime et *immediate* spectat.

§. XVII. Ducatum Olsnensem sui fere iuris esse putat *Baudrandus* Geographus Gallus, et nihilominus concedit, esse in clientela Bohemiae Regis, ac tantum non sibi contradicit. Nam hi Duces iurant in verba Regis, suntque eius *Vasalli ligii*, et fidem atque *subiectionem* promittunt, atque in hoc statu non sunt sui iuris, vel quasi, noruntque et profitentur obligationem suam. Illud tamen singulare est, quod Olsnae principatus devolvitur ad foeminas, atque hoc obtinet ex permutatione Bodebrati in Bohemia siti, et foemineo iure praediti (unde appellati sunt *Domini de Bodebrat*) quod Henricus Dux Munsterbergensium Vladislao Bohemiae Regi tradidit, atque eius nomine Olsnam recepit. *Schickfusius Chron. lib. II. cap. 34.* Qui ducatus connubio Elisabethae Mariae, Caroli Friderici Ducis Munsterb. filiae, delatus est ad Sylvium Nimrodum, Ducem VVirtembergicum, quod recens manifestumque est iuris uxorii argumentum. Sed id non habet locum in ceteris Silesiae ducatibus, qui tamen in plerisque aliis a communi *feudorum* ratione et regula recedunt. *Henelius Silesiograph. cap. VI.* Duces Munsterbergenses Schickfusius nominat Imperii Principes, et praeter institutum concedentis, exponit ac extendit diploma Caesareum, statumque quaestionis invertit, nec servat modum generi pragmatico congruentem. Ad eos ceteroqui duces pertinuit *Glacii Comitatus*, cuius mentio fit in tabulis beneficiaris anno MCCCCLXII. ab Imp. Friderico III. datis. Venit hic castigandus scriptor proletarius *Georgius AElurius* qui initia et originem Glacii adscribit Henrico Aucupi, et diploma Germanicum contra usum curiae Germanicae veteris eidem tribuit, ac revera ineptit, *Glaciographiae lib. I. c. 1. p. 32.* Magis erudite ac prudenter de hoc Comitatu tradit Goldastus *lib. I. c. 15. de regno*

regno Bob. Qui committatus nunc non possidetur a Silesiae ducibus, sed regno Bohemiae est coniunctus.

§. XVII. Liegnicii et Briegae ducatus superstitem Piaftidarum sobolem retinuit usque ad annum MDCLXXV. quo Georgius Gvilelmus Christiani filius, ex connubio principali dignitate ultimus, in flore aetatis, et in expectatione maximarum rerum, hanc antiquissimam et regiae stirpis propaginem finivit. Proinde ab illius obitu hi ducatus filio regio attributi sunt, et pristinos propriosque duces amiserunt, quos commonstrat §. Silesiae art. V. Instr. pac. Osnabr. Etsi autem iam ad patrimonium regium pertinent illi ducatus, non tamen propterea cessat ratio conservationis iurium et privilegiorum, speciatim in parte Sacrorum, quae antehac ibi fuerunt et valuerunt, et deinceps pactione Vestphalica denuo robur acceperunt. Quorsum dirigitur *interventio* Svedica, et intercessio Principum Augustanae confessionis, quarum neutra est supervacua et inanis, quoniam partibus solenniter paciscentibus placuit et probata est, atque eas mutua utrinque obligatione devinxit ad inferendam clausulam, quae in modum formamque *contractus* libertati religionis caveret. Instr. pac. vers. et cum. Non quidem nescio, hos duces superiori saeculo consilium cepisse de faciendo successione pacto cum Ioachimo Brandenburgio *Electore*: sed Rex Bohemiae contradixit, et ratum habere noluit, et quod ea in re actum fuerat, rescidit, irritumque declaravit. Henel. Siles. c. VI. Nostra deinde memoria Ducis Iohannis Christiani, principatum viribus et potentia stabilire cupientis, voluntas et *dispositio* succedendi ius praeripuit filiis ex altero, tanquam impari, matrimonio natis. Sed ignarus futuri erat laudatissimus Princeps, dum consulto a *divisione* abstinerebat, nec facile orbitatem metuebat, cum alioquin ratio fuisset expedita connubii in dignitate principali collocandi, et *appennagia*, quae nominant, constituendi.

§. XIX. Ducatus Crosnensis ex Silesiae corpore veluti decerptus, et a reliquis ducatus onerum munerumque civilium ratione seiunctus, atque in dominium Brandenburgicum perpetuo iure redactus est, et ad familiae eius patrimonium attinet, hereditariusque *feudalis* appellatur. Quod omnino affirmant *Andreas Angelus in Chron. March. Brand. lib. III. p. 329. Schiksfusus Chr. Siles. lib. I. cap. 15. et lib. II. cap. 33.* Titulus et insignia huius ducatus, concessu Ferdinandi I. Bohemiae Regis, sumta sunt anno MDXXXVIII. Error est in notis temporum *Hartknochii*, quippe annum 1528. numerantis. Superiores Crosnae mutationes enarravit *Curacus in anal. Siles. p. 263. 306. 323. 325. 335.* Verum Ducatus Carnovius desiit esse ditionis Brandenburgicae, postquam non habita agnatorum ratione ademptus

ptus abiudicatusque est, cuiusmodi exemplum antea editum fuit in Opeliensier Ratiboriensi ducatus, dum agnati nullo modo impetrare poterant, ut ad successionem ex transverso admitterentur. Quibus rebus isti ducatus ad fiscum regium devoluti, et pignoris titulo postea traditi ad tempus sunt Sigismundo III. Poloniae Regi. Sed nihilominus ratione ducatus Carnovii titulus ducis *legerndorffensis* a Marchionibus adhibetur et retinetur. Tantum igitur cum accessionibus suis Crosna dignitate principali superest, quam Marchiones et Electores Brandenburgici a Rege Bohemiae iure beneficiario capiunt et agnoscunt. Neque tamen non dubitat Henelius, an ducatus Carnoviensis hereditarius dici possit, *Silesogr. c. VI.* Quod Reges Bohemiae negarunt et praeiudicio testatum fecerunt, cuius rei altior causa subest, et facile perquiri potest ex superiorum temporum actis, quae exequi propositum vetat.

§. XX. Unus autem restat ducatus, qui veteres suas rationes servat, quique ad fiscum regium proxime non spectat, cuiusmodi est ducatus Olsnensis, cuius nota foecunditas est, quae facit, ut tribus *lineis* contineatur. Etenim ab Sylvio Nimrodo, Duce V Virtembergico primo huius ducatus acquirente, tres ortae sunt propagines, Olsnensis sigillatim, Bernstatisensis, et Iulichstatisensis, quarum initia ducenda sunt a tribus Sylvi Nimrodi filiis, inter quos Sylvius Fridericus, Christianus Vlricus et Iulius Sigismundus patri superstites, suam quisque *lineam* condiderunt.

§. XXI. Vratislaviensis ducatus iam dudum sublatus extinctusque est, neque id tamen fraudi est Vratislaviae, parenti cultus et elegantiae Silesiarum urbium, propterea quod in pactioe pragmatica seorsim exprimitur, et iuxta cum aliis ducatus *mediate* subiectis, necdum ad fiscum regium devolutis in libertate, sacra et civilia negotia complectente, prorsus confirmatur. *Inst. pac. Osnabr. art. V. §. 33.* Quare ius religionis libere illic exercendae firmum et stabile est, neque potest convelli, neque continetur capite gratiae, nec pendet a conditione et clausula *interventionis*, sed innititur pacto publico et pragmatico, a sociis paciscentibus et sponsoribus simul comprobato.

§. XXII. Caeterum omnes Silesiae Duces regno Bohemiae se coniunxerunt, et iura privilegiaque salva sibi pacti, tanquam foederati Proceres accesserunt, nec Regi suo, nisi praesenti, iurare quondam consueverunt, atque ante conversum Bohemiae statum, in Regis *electione* suffragium habuerunt, et eo numero locoque habitati sunt, quo illi, qui intra regnum, et nativa eius membra fuerunt. Quocirca recte existimat *Hevelius*, *Regimite-*

luc in functione Carolina memoratos, intelligi simul Silesiae Principes, *A. B. tit. VII. et VIII. Silesiograph. cap. VII.*

§. XXIII. Primum Silesiae cum Bohemia copulandae auspiciū datum est ab Henrico Vratislaviensi duce, qui cum Venceslao Bohemiae Rege pactionem fecit, quam A. MCCXC. sua et Imperii auctoritate communivit Rudolphus Caesar. Inde paulatim alii post alios ad *pactionem* illius regni societatem accesserunt, donec omnes simul in verba Iohannis Lutzelburgici Regis iurarent. Id quod evenit, ritūque solenni Vratislaviae peractum est anno MCCCXXXVII. die festo Palmarum. *Io. Dubravius hist. Boiem. lib. XXI. Nic. Henelius Siles. cap. VII. Schickfusius Chron. lib. IV. cap. 28. Balbinus ep. lib. III. cap. 18.* Postea Casimirus Poloniae Rex assensu regni procerum iuri suo in Silesiam renunciavit, et superiores lites sustulit atque extinxit. Diploma cessionis anno MCCCXXXIX. factum, et a Goldasto editum est, *in appendice documentorum p. 40.* Facile Casimirum in hanc sententiam induxit et traxit memoria belli Prussici, quod magnis viribus diu gestum est, ac sine dubio a cogitatione novae et difficilis expeditionis eum deterruit atque avertit. Itaque pacto remisit ius, et callidum animosumque Regem Iohannem ad accipiendam approbandamque conditionem Poloniae utilem persuasit et inflexit, ut vicissim omni iure cederet, quod in quantum Bohemiae Rex in Poloniam habebat, propter connubium Richsae Venceslao Bohemorum Regi nuptae, quae insignem Poloniae partem ipsi in dotem attulit, quam inita hac pactione pro Silesia libenter et consulto dimisit. Quod dissimulant scriptores Polonici, et huius rei causa arguuntur merito, et tacentes urgeri, negantes refelli convincique possunt, quia non libri solum, sed publica quoque actorum documenta suppetunt, quae dictis fidem afferant, cessionemque confirmant. *V. Carolus IV. in vita sua, quam Rein. Reineccius, et Marq. Freberus ediderunt. Io. Dubravius, et Vencesl. Hagecius, ex inqve Mart. Boregk Chron. Boh. in Iohanne Lutzelb. Pessina in Mart. Morav. lib. IV. cap. 2.*

§. XXIV. Duabus autem in rebus cognitum est, non bene Polonis evenisse consilia, quae cum *divisione* principatuum, et *electione* Vladislai Loctici coniuncta erant. Vtroque enim modo vires, animosque distraxerunt, commotis repulsa Piastis Ducibus, quorum amicitiam diligenter captabat Iohannes Rex, et eorum in Polonos odia fovebat ac stimulabat, et occasione belli inter Polonos Prussosque gesti utebatur, pacemque suo et Caroli arbitrio procurabat, sibi utilem, et Casimiro Poloniae Regi iniquiorem. Quod non diffitentur Polonorum historici, et Regem Casimirum, plus quam par esset, quietis et otii cupidum fuisse qveruntur. Nec inficiari possum, Po-

Ioniam tunc non potuisse resistere suis fati, postea autem agnovisse errorem, meliusque sibi consuluisse, cum Silesiae iacturam prudenter sarciret, et Jagelloni Regis dignitatem prestanti conditionem de Lithuania cum Polonorum regno coniungenda ferret, quam is libens accepit, et rempublicam una et auspicata magni ducatus accessione auxit et corroboravit. *Cromerus de reb. gest. Pol. lib. XIV. et XV. atque ex eo Salomon Neugebauerus hist. Pol. lib. V. Albertus VViuk Koialowicz, qui Matthiae Strykowski Ossostevii historiam Lituanicam in epitomen redegit, hist. part. I. lib. 9.*

§. XXV. Fuit autem Silesia plus trecentis et quadraginta annis coniuncta Bohemiae, nec subiugata Bohemorum armis, sed pacto Silesiorum Principum, et cessione Regis Procerumque Polonorum, venit in ditionem Regni Bohemici, mansitque eo in statu, et Regum suorum maiestatem coluit, et obsequium fidemque servavit.

§. XXVI. Hostes, qui vastarunt Silesiam, duo praecipue animo occurrunt, Scythae, et Hussitae, quorum infesti exercitus nullum prope crudelitatis genus omiserunt. Scythae, sive Tartari, anno MCCXXIIX. ab ultimis sedibus in Europam egressi sunt, et magnum deinde repentinumque impetum in Poloniam et Silesiam fecerunt, traiectoque Viadro, versus Vraclaviam castra moverunt, et depulsi ab oppugnatione arcis, in quam cives urbe consulto incensa, profugerant, Liegnicium usque pervenerunt, ac V. Id. April. A. MCCXXLI. ingentem Silesiorum stragem ediderunt. In quo praelio desiderati sunt Henricus Dux Liegnicensis, Boleslaus Marchio, et per plures ex flore Nobilitatis. Barbari caesorum numerum, resectis auribus, inierunt, iisque novem capaces saccos repleverunt, nec aliter, quam victoriae signa ostentarunt. Loco pugnae ad hunc diem nomen est Valstadio, quod uno lapide distat Liegnicio, et memoriam funestae cladis etiamnum servat. *Henelius Breslograph. cap. IV.* Quo tempore imperabat Fridericus II. cuius epistola ad Regem Hungariae de adventu Tartarorum per scripta superest apud *Petrum de Vineis, scribis Caesaris praefectum, lib. I. ep. 29.* Contra quos destinavit Conradum filium, cum ipse rebus Italicis impeditus, in dura imperii tempora incideret, et procul esset finibus patriae, et difficultatibus pecuniae urgeretur. Proinde iniquissimis reipublicae temporibus numos ex corio faciendos curavit, quibus signum Caesaris impressit, valoremque necessitate publica sanxit. *Carolus Sigonius de regno Italiae lib. XVIII.* Hussitae demum crudeliter afflixerunt Silesiam, magnamque eius vastitatem fecerunt, *Curacius annal. Siles. p. 125. et belli Hussitici per Lusaciam Silesiamque MSP.* Quae irruptiones per multum attulerunt ad utrasque regio-

giones magis deinceps communiendas, et ad custodiendos firmandosque aditus, et inprimis ad urbes earumque moles et aedes ex lapidum materia construendas.

XXIX. ORIGINES LIGNICII SIL. VRBIS.

Boni Civis est, eius Civitatis, quae nascentem excepit, scrutari Origines, et explere libenter officium, quod Patriae Charitas exposcit. Hoc maiori desiderio afficior, quum ad ultima Lignicii tempora respicio, et nomen ac primordia Urbis, Principum sede tumulisque clarae, perquiro.

§. II. A Lygiis esse conditam, vetus opinio est, quae non modo finitimas regiones opplevit, sed etiam in externas usque pervasit. Sed pro certo affirmari non potest, hic consedisse Lygios, et perinde incertum est, hos urbibus extruendis operam dedisse, propterea quod Lygii vicos pagosque habitarunt, more Germanorum veterum, qui propter Viadrum et Albim, citraque mare Balticum incoluerunt. Neque enim Tacitus quicquam de Lygiorum Vrbe prodidit, *Lygiorum vero nomen in plures Civitates diffusum commemoravit. Germ. Mor. c. XLIII. 3.* Populus enim Lygiorum auctus, non uno Regis Imperio coniungi voluit, sed more Maiorum diversas, easque populares Respublicas instituit, quas Tacitus nominavit *Civitates*, nec uni semper loco affixas, neque unius appellatione nominis designatas; Germaniae tamen magnae annumeratas, neque a Silesia, quam Viadrus interfuit, seiunctas.

§. III. Congruit descriptio Taciti, et antiquas Lygiorum sedes facile mihi in animum revocat, quos a Silesiis diversos esse, nemo temere dixerit, quanquam non sum nescius, *Pbil. Cluverium* in diversa omnia abire, Lygiosque inter Vartam et Vistulam fluvios collocare, et ut verbo dicam, Poloniae, cuius partem tenuisse putat, ascriptos velle. *Germ. antiq. l. III. c. 3.* Poloniae proximos coluisse certum est, sed ad Sinum usque Venedicum correctos fuisse, nullis Veterum monumentis confirmare licet. Ab eo enim remotos habitasse, indicio est, quod ultra montes, qui Svevos secernunt a Lygiis, sedes suas, auctore *Tacito*, habuerunt. Sermo autem mihi est de Svevis mediterraneis, Lygiorum nostrarum finitimis, non de maritimis Sinus Codarii accolis, a quibus antea Sveyicus est dictus ille Sinus, quippe qui Germaniam magnam, eiusque partem cisbaltianam incoluerunt.

§. IV. Sed ubi constituatur *continuum illud montium iugum*, quod com-

memorat Tacitus, diligenter exquirendum est, sine quo nihil in hac causa definiamus. Propiores vero sunt, qui montes magno locorum spatio procurrentes intelligunt, quos versus meridiem Sudetos, versus Orientem Carpatos appellant; illi Silesiam a Boemia separant, et pro parte etiam Riphæi nominantur: isti veteris Sveviae, qua in Orientem vergunt, limites, eandem quoque a Polonia et Hungaria seungunt. *Ioachimus Curæus in Annalibus Silesiae p. 6.* Quamquam sine Veterum auctoritate locutus est, quando Carpatum Svevi nomine appellat, quod merito improbat *Abr. Ortelius Thef. Geograph. b. v. Henelius in Silestographia cap. I. p. 5. 6. 7.* Eiusdem culpae affinis est *Iodocus Villi bii commentar. in Taciti Germaniam cap. XXI.*

§. V. Undenam vero Silesiae nomen ducendum sit, quaeritur: utrum a *Silesta* fluvio, quod putavit *Conradus Celtes*, an a Venedorum vocabulo *Sle/ak*, quod convenam significat, ut *Cromerus* et *Henelius* existimant, nec dissentiant *Franciscus Faber* et *Casp. Peucerus*: an a *Slusa* Voce Germanica, clausum aliquid denotante, quorsum legendus est *Goldastus L. I. c. 14. de Regno Bohemiae*: an a *Zle*, quod pervetusto Slavicae gentis usu hominem improbum et malum designat, ut aliquibus visum est, tametsi id negat *Phil. Cluverius Germ. antiq. lib. III. cap. 31.* an a Rege quodam huius nominis, ut *Matth. Qvadus*, et post eum *Stephanus Ritterius Hessus*: an a verbo serpendi significatu praedito, quod probavit *Io. Dubravius Hist. Bob. l. II. et Boregkii Chron. part. I.* an ab *aspera terra*, quam vox non multum a nostrae gentis consuetudine recedens notat, et applausorem habet *Franciscum Fabrum*: an a monte huius terrae, quem hodie *Sabothum* dicunt, cuius sententiae fuit *Ditmarus Merseburgensis*, qui *Pagi Silensis*, id est, more loquendi Teutonico, regionis Silesiae vocabulum, a quodam monte nimis excelso et grandi inditum existimat, neque alium ibi, quam *Sabothi* montem subindicat. *Lib. VII. Chronic.* Antistes enim ille cum *Henrico II.* in Poloniam profectus, Boemiam, vicinasque regiones, et ipsam adeo Silesiam praeclare cognitam habuit, et multo iudicio industriaque res perinde Germanicas, ac Slavicas, occasione belli Polonici, ductis altius initiis, consignavit. Subdubitat tamen *Henelius*, multa Vir doctrina, et quam hic praecipue specto, peritia rerum nostratium insignis. Ad illius igitur partes accedo, et suffragatorem habeo *Henricum Meibomium in commentariolo de pagis veteris Germaniae, in b. v. Goldastus* nihil definit, sed *Boregkii* de Sudetis a *Slezac* nuncupatis *plausibilem coniecturam* vocat *lib. cit.* Non tamen inficiari possum, propiorem vero videri hanc originem, si a *Ditmari* sententia discesserim, quam ceteroquin aliis praefero, quippe gravissimi scriptoris auctoritate sultam.

§. VI. Quare nunc mea refert, ut exquiram primordia Urbis Lignicii, quam a Lygiis extractam fama tenet, tempus autem quo coepit, et exaedificata est, nemo facile in tanta rerum patriarum caligine definiet, quamvis prima eius initia haud temere Lygiis tribuantur. Est enim consensio quaedam et vetustate corroborata opinio, neque a credulitate Popularem meorum aliena, neque a nomine patriae Urbis abhorrens. Sed Ptolomaei *Hegetmatia*, cuius *lib. II. c. II. Geograph.* meminit, nullo nominis situsque indicio cum Lignicio congruit: accedit quod sub hoc tempus, quo Ptolomaeus vixit, Germania nullas vrbes habuit, speciatim, quae hic intelligitur, transhenana et magna, in cuius ambitu Tacitus collocavit Lygios, atque ultimos Silesiorum maiores. Non magis ergo Hegetmatia ad Lignicum, quam Budorgis ad Vratislaviam quadrat; utrumque tabulae, quibus locorum mensurae et descriptiones continentur, ostendunt, et de Vratislavia etiam limati Vir iudicii ultro concedit Henelius, *Breslograph. cap. II.* A quo dissentiant Seb. Munsterus, Hadrianus Iunius, Hadrianus Romanus, Dasypodius, Braunius, et alii non e vulgo, viri apprime docti, vel ipso iudice Goldasto, *de Reg. Bob. l. supra cit.* Sunt tamen haud imperiti originum patriarum homines, qui, cum ex antiquitatis memoria eruere nihil certi possint, argumenta ex prisca Germanorum * voce desumunt, quae *prata pascuis apta* denotat, quorum hic bene multa sunt, et in circumiecto agro iucundum aspectum praebent. Veruntamen haec per se sola fidem non faciunt, cum plures sint Vrbes, quae hac felicitate non concedunt Lignicio, et pratis perinde ac pascuis abundant, neque tamen hoc nomine ab aliis distinguuntur. Illud autem merito redarguendum est, quod mendose quidam scribant *Hegetmasia*, quos Ptolomaei codex erroris admonere potuit, in quo scribitur Hegetmatia, Graece quidem et sine vitio, *Ἡγεματία*.

§. VII. Sunt qui Lignicum a Lecho, primo Polonorum Principe, conditum, quaeque Lechnizium ab eo dictum putent. Quorum sententia cum in multis patria documentis, templorumque epitaphiis, praesidium habet, tum speciatim confirmatur veteri quodam monumento, quod ita finit: *Acta sunt haec publice et data in Legnitz, Anno ab incarnatione Domini MCLXXVIII.* Diplomati nomen titulumque praescripsit Boleslaus Altus, qui urbem arcemque ligneam fecit lapideam, primusque ibi Aulae sedem collocavit, et finitimum urbi monasterium religione loci cultum, et anti-

LII 3

qvita.

* *Häge-Matten* / i. e. *gehägte Wiesen*. Qualia nomina apud nos ad Catti imprimis ripas, quem multi Tagum Lignicii vocant, adhuc manent, e. g. *Frauen-Hag* / *Blögauischer Hag* / *Breslauischer Hag*.

qvitate clarum Leubusium, instituto Benedictini nominis Ordine, atque in Cisterciensis locum subrogato, solenni ritu instauravit.

§. VIII. Neque tamen his suffragari possum, qui pro Duce Lecho sententiam dicunt, cuius tenue erat initium, modicaeque vires, cui nec Sarmatia omnis, nedum Silesia universa parebat. Tum vero Lechus nullas in Sarmatia Vrbes condidit, tanto minus in regione extra Sarmatiae fines sita, Urbium condendarum initium fecit, aut suo eas nomine appellavit. Repugnat id consuetudini illorum temporum, quibus vicus, non vrbes et Rectores, non Reges Polonia habuit, quorum rationes domesticis negotiis impeditae, et consilia ad belli artes potius, quam ad extruendas Vrbes spectabant. Ne dicam in praesens, Lignicium vel ipso nominis sono alium a Lecho prodere conditorem: Si enim Lechi Sarmatae principis opus esset, haud dubie Lechicium, aut, si litera liberius addenda est, Lechnicium scriberetur. Quamquam iis non repugno, qui affirmant, nomen huius urbis post discessum Germanorum a Sarmatis inditum, sed quo Sarmatarum Principe id contigerit, auctoritate veterum Poloniae animalium non posse definiri. Vere ceteroquin tradit Bohuslaus Balbinus, pleraque vetustiorum Silesiae urbium nomina ab Sarmatis, sive Slavis esse petenda, *epit. rer. Boh. lib. III. c. 8. p. 209.* Res ipsa loquitur, vocabula, quae perinde ac *Ligniz* finiuntur, certissimum Slavicae originis afferre argumentum, quod Saxonici etiam Scriptores de familiis Slavicae, civitate Saxonica donatis, consentunt.

§. IX. Quod ad Urnas in Silesia repertas attinet, non difficulter probare possum, Sarmatas Slavosque cremasse cadavera, et collegisse ex busto cineres, eosque in urnis fictilibus reposuisse. Idcirco falluntur, qui putant, Sarmatas Polonosque sepultura contentos, non adhibuisse cremationis ritum, contra fidem antiquitatis, et contra experientiam, quae cineres combustorum corporum passim in finibus Poloniae ostendit. Neque tamen ideo Lygii a Polonis, sed a cognato Germanorum populo traditum hunc morem acceperunt, quippe qui corpora mortuorum cremanda rogo imposuerunt, nec prius, quam Christum amplexi sunt, ab hoc ritu discesserunt, neque Poloni, antequam erant initiati sacris, consuetudinem cremandi missam fecerunt. De Germanis Tacitus, et alii priscae Teutonum gentis scriptores tradunt, de Sarmatis post Procopium domestici auctores, et novissime *Lacobus a Mellen in historia urnae sepulchralis Sarmaticae.*

§. X. An vero ex urnis, quae in agro nostrae Urbis effodiuntur, argumenta antiquitatis petenda sint. explanari par est, praesertim quum multae passim et variae in finitimis patriae fundis reperiantur. Praeter urnas
ma-

magnae, mediae, et parvae molis, etiam numi, Romanorum Imperatorum imagine signati, ibidem inventi, et eruti sunt, quos haud dubie Qvadi, Romanis implicati bellis, in has oras, velut praedam ab hoste captam, asportarunt, Qvados autem Silesiae, quae superior dicitur, incoluisse, affirmandum est, aut certe proximos fuisse, ut alii volunt, concedendum. Quamquam vero est magis simile, Marcomannos Moraviam tenuisse, sedesque Danubio propiores habuisse, ut mecum putat rerum Moravicarum peritissimus scriptor *Zechorodus*. Nam quod de *Tacito* obiicit *Cluverius*, nihil evincit, nec refert, quod Qvados eo loco constituat, ubi *Germaniae velut frons est, quatenus Danubio praetexitur. Mor. Germ. c. XLII.* Nam veterum auctoritate librorum repono, *pergitur*, non praetexitur, etiam *Berneggeri* suffragio, quod vehementer probo. Verba autem, *quatenus Danubio pergitur*, non impediunt, quo minus Qvadi in Silesiis numerentur, sive a Danubio, ut *Cornelium* interpretor, sive ut alii exponunt, ad Danubium, atque adeo ad remotiora pergassent. Fines enim veteris Qvadiae fuisse ampliores, et versus meridiem ad Danubium patuisse longius, dicere nihil vetat. Ibidem *Tacitus* tradit Marcomannis Qvadisque Reges praefuisse, quam *Taciti* narrationem firmat *Antonini* pii numus, ad posteritatis memoriam insignis. REX QVADIS DATVS. Fidem monumento fecit *Iulius Capitolinus*, *Qvadi*, inquit, *amisso Rege suo, non prius se confirmaturos cum, qui erat creatus, dicebant, quam id nostris placuisset Imperatoribus, in Vita Marci cap. XIV.* Ante Capitolinum *Tacitus*, verax peritusque rerum Germanicarum, si quis alius, scriptor, tradit: *vis et potentia Regibus (Marcomannorum et Qvadorum) ex auctoritate Romana. M. G. cap. XLII.*

§. XI. Ex quibus apparet, Romanos ex Pannonia movisse in Qvadorum terras, et pervenisse in Silesiorum fines, ac penetrasse in nostratam agrum sed nondum urbibus excultum, vicis tamen pagisque, ut illa ferebant tempora, frequentatum. Enimvero hoc numi demonstrant, in quibus nomina Imperatorum incisa sunt, ex his sigillatim *Traianij* et *Marci Antonini*. Quae documenta eiusmodi sunt, ut certo probent, non tantum *Lecho* principe, sed etiam ante eius tempora Qvadiam Silesiamque fuisse habitatam, contra quam putavit *Matthias Michovius*, ante *Lechi* tempora regionem incolis vacuum, et quod hinc sequitur, vicinis ignotam extitisse. De ollis mortuorum et urnis nihil addo, quippe quas nostri cum Romanis Sarmatisque communes habuerunt, atque hoc indicio ante *Lechi* Principis Sarmatici adventum, ritus funerum a gentibus, divini nominis cultusque ignaris, ex Graecia aut Latio, ab illa Urbium Occidentis matre, acceperunt.

§. XII. Quibus constitutis, ultima urbis initia iam investiganda sunt, quae mea quidem sententia tertium decimum supputationis *Dionysianae* secu-

seculum vix praecedunt. Difficile creditu est, quod tradit Matthaeus Dresferus, quem sequitur Schickfusius, primum fuisse *Boleslaum* cognomine *Altum*, qui Lignicium muro cinxerit, suoque auspicio effecerit, ut urbis dignitatem obtineret. Fuit is natu maior Vladislai II. et Adelheidis ex augusta Salicorum stirpe oriundae, filius, ducatumque hereditario iure fundatum, sua auctoritate rexit feliciter, et sede domicilioque suo Lignicium ornavit, ut soli deinceps Vratislaviae secunda esset. Decessit grandis natu Princeps, et prosperiori, quam pater, fortuna usus est, Vratislaviam Silesiae caput, Brengam quoque, Nissam, Suidnicium, Iauraviam, Lubenam, Oelsnam, in ditione sua habuit, annoque aetatis septuagesimo quarto, illatus est tumulo Monasterii, quod locupletavit, Leubusienfis. Testis est vetus cippi principalis inscriptio, quam subiicio. *A. Dni MCCI. VII. Idus Decembr. illustris Boleslaus Dux Sleziae, fundator Lubensis Coenobii. Fundator* quidem eius monasterii dicitur, sed primus *fundator* intelligi non potest, quoniam Casimirus e Cluniacensi Fano ad regnum accitus, arcem Lincii uno lapide Cracovia distantem, et Leubusium templo Martis notum, ordini sacro, quem antea professus fuerat, magnae pietatis et munificentiae laude assignavit. De matre huius Ducis variant scriptores, Schickfusius et eius affecla Fridericus Lucae, Christianam nuncupant, quos errore ductos tabulae *fundationis* ostendunt, quarum vel unum dabo exemplum, et prima duntaxat recitabo verba. *Ego Boleslaus Dux Sleziae, inclitaeque Dnae Adelheidis, Filiae Imperatoris Henrici III.*

§. XIII. Quamvis autem his temporibus nondum muro circumdatum fuerit Lignicium, tamen arce et templis a vicis et vulgaribus municipiis distinguebatur, et moles aliquot turresque pro illorum conditione temporum habebat. Itaque Tartaris agrum Lignicensem infestantibus, excedere coactus est Henricus pius, quod neque in muro, neque in munitione praesidium inveniret, praelioque experiri necesse haberet. In exeuntis caput *regula* (quam Dubravius Saxum nominat,) ex templo, quod praeteribat, Mariano decidit, et infausum pugnaturo omen praebuit, neque tamen is hoc casu terditus, per veterem portam, qua Vratislaviam itur, perrexit, et Tartaris, Lignicii agrum infidentibus, fortiter se obiecit. Porta haec Duci animoso transcuncti fatalis, non obstructa quidem, sed cum speculis et turribus partim in vallo inclusa, partim in proximas Diaconi aedes conflata est, ut vix portae eius vestigium hodie ostendi possit. Etsi autem vetus portae nomen mansit, tamen locus deinde mutatus est, quam Fridericus II. amplificandae Vrbi operam daret, quod accidit A. MDXXXII. Antea enim porta Vratislaviensis parebat usque ad turrinam a pulvere pyrio cognominatam, inter D. Mariae templum et Episcopi aulam.

illius monumentum, sed aliunde, et ex templo prope arcem et portam Glogoviensem condito, quod titulum a S. sepulchro habuit, translatum. Quod argumento est, inscriptiones, quarum memini, non ad Templum D. Iohannis, ut quorundam opinio est, pertinere, sed subducta penitus ratione, ad Templum a S. sepulchro dictum, prorsus et omnino referri oportere. Quae restant, in aliud tempus et locum reservo, sed pietatis, quam Patriae debeo, memor, Urbem hanc, cuius civis et alumnus sum, Dei Caesarisque Augusti beneficio, Procerumque opera et consilio, florentem semper ac fortunatam esse opto, et quanta possum animi religione, a maximo Imperiorum et Urbium statore contendo.

Inscriptio Saxi sub Ara.

ANNO DNI M CCC LXIII. SECUNDO DIE M. IVNII OBIT INCLYTUS DVX VVENCESLAVS, DNVS LEGN. FVNDAT. PRAESENT. ECCL.

Inscriptio Saxi in Pila.

A. D. M. CCC. XLVIII. FVNDATVM ET DOTATVM EST ISTVD COLLEGIVM PER INCLYTOS PRINCIPES, VVENCESLAVM ET LVDOVICVM FRATRES, DVCE SLES. DNOS IN LEGNITZ ET IN BREGA.

Item.

A. D. M. CCCXCVII. INCEPTA EST FABRICA HVIVS ECCLESIAE, QVAE ANNO DOMINI MCCCCXXV. CONSECRATA EST IN HONOREM S. SEPVLCRI DOMINICI BEATAE VIRGINIS, MARIAE, S. VVENCESLAI, HEDVVIGIS ET MARIAE MAGDALENAE BEATARVM.

XXX. RES SLAVICAE.

Scripturus de Slavis, (a) non viri repeto memoriam, sed gentis. Cuius reddere acta, et signare monumenta stylo, ut opportunum, ita utile est visum.

(a) *Ampla Slavorum gens, amplius a gente titulus. Qui res Slavicas discernunt, recte observant, angustius dici Regem Obocritorum, quam Slavorum. VVilforum, quam Venedorum.*

§. II. Exosa vero huic populo quies, bellorum subinde quaesitae causa. (b) Efferatus domi, pugnax foris, ubique Martius, raro dissimilis sui, semper asperi moris tenax. Victus certe aliquando magis, quam domitus fuit, (c)

(b) Fran-